11

THOMAS HVRTADO

CLERICVS REGVLARIS

Minor, vulgò *Peloso*,

IN RESOLVTIONE CONTROVERSI

de Communione pro Mortuis,

VVLSVS, AC DEPILATV

A LEODEGARIO QVINTIN

Heduo Sacræ Theologiæ Doctore.



LVGDVNI,

Sumptibus MICHAELIS LIBERA

M. DC. LIII.

CVM PERMISSV.

INDEX PARAGRAPHORVM.




REVERENmo IN CRIST. PAT.

RAPHAELI AVERSÆ
THEOLOGO PONTIFICIO

CVM primùm in fronte operis, cuius nunc particu executio, calculus tuus candidus occurrit, PAT SAPIENTISSIME, gestiui legere, ratus solidam doctrin & scribendi accurationem tuam in opere tua autoritate c munito, deprehendendam. Sed apparet, verè pridem pron ciatum esse, nihil tam deficere supremos cœtum moderato quàm veri notitiam. Ab extrema Iberia, per tot maris te que tractus, iudicium de libro suffragatione censorum prob perfertur ad Generalem moderatorem: Quid mirum tot c distentam mentem, edendi facultatem in fide suffragatorum, c cessisse? Breuiculum aberrationum, falsiloquiorum petule tum, in opere non redolente tuam in scribendo grauitatem, discutiendo subtilitatem & ingenium, in confutando modesti in stabiliendis tuis placitis firmitatem ac soliditatem; rep sentatum venio; non tam vt ex vngue leonem æstimes, quàn estatum omnibus faciam, quantum sapientiæ tuæ ac iudicio feram; & quod te Romana cortynæ ad grauissimas quasque fide & doctrina sana disquisitiones consultum vult, & ad scoporum examina adhibet, alibi quoque terrarum cum pl excipi, & fauentibus iudiciis comprobari. VALE.

REVERENDISSIMÆ PATERNITATI T

Addictissimus
LEODEGARIVS QVINTINVS.



APPROBATIO DOCTORVM.

HÆc lucubratio concinnata ad diſpellendas offucias criminationum, in magiſtrum optimum, deque Theologicis ſtudiis bene ritum, luce digna eſt, quippe nihil continens ſiue ſanæ doctrinæ, e bonis moribus aduerſans, imò ſolidam pietatem validè ac eruditè biliens. Scriptum in Carmelo noſtro die 3. Auguſti anni 1653.

Fr. STEPHANVS MOLIN, *Carmelita Doctor Pariſienſis.*
Fr. FRANCISCVS RENEVOT.

LICENTIA ORDINARII.

QVominus præfata lucubratio detur in publicum per nos non ſtat, attento Doctorum Fratris Stephani Molin Carmelitæ, & Fratris ncisci Reneuot teſtimonio. Lugduni die 8. Auguſti 1653.

DEVILLE, *Prouicarius Generalis Lugdunen.*

CONSENSVS.

VIſis ſuprà approbationibus, librum ſic inſcriptum : *Reſolutio controuerſiæ de communione pro mortuis*, à MICHAELE LIBERAL, hac vrbe Typographo in lucem edi non impedio, cum prohibibus, aliis omnibus hac de re fieri ſolitis. Actum Lugduni 8. guſti 1653.

VIDAVD.

PERMISSIO.

Fiat iuxta concluſiones Procuratoris Regis, 8. Aug. 1653.

SEVE.



ARGVMENTVM.

OPVSCVLVM *de Communione pro mortuis*, triplici oppugnatione est impetitum. Primam instituit quidam Boghman, Prior S. Thomæ, qui libellum tunc primùm editum, infamauit de Hæresi Æriana; & Lutetiæ de sacro suggesto ostẽtatum, ignibus addicendum pronuntiauit, eo quòd tollat Missas pro defunctis. Sed hanc vecordem fuisse calumniam libri principium reuicit. Vnde Sycophanta illicò explosus est. Oppugnationem secundam adornauit Augustinus de Bellis, timens frequentiæ Communionis Feriâ qualibet secundâ institutæ apud S. Andream à valle: qua in parte frigidam affundere pietati populorum, negauit expedire, etiamsi libellum sanâ doctrinâ esse refertum, & Autorem euicisse, quod intendebat, vltrò datum est. Cumque fuisset qui opponeret, si sana est libelli doctrina, falli ergo plebem, ex desiderio suos vita functos iuuandi communicantem; eâque communione non iuuari reuerà mortuos, sed deludi viuos: responsum est à quodam pertinente ad titulum de clerico per saltum promoto, *Perinde esse, siue per veritatem, siue per falsitatem, Deo seruiatur, dummodò seruiatur.* Hæc oppugnatio, apud cordatos seipsam euertit, vt pleniùs dicitur in Historia Mariniana. Tertiam eiusdem libelli oppugnationem instituit Thomas Hurtado, ex Ordine Clericorum Regularium Minorum, qui

vulgò *Pelosi* appellantur, tota resolutione 11. tractatus vltimi; longissimâ, & mole, libellum de quo agitur, æquante. Exhibuit se Hurtado totâ hac sua lucubratione, adeò Pilosum, vt, si Petri Blesensis vocem adhibere liceat, *Esauina* prorsùs sit eius Oratio. Vnde *Esau Seir* siue *Pilosus* denominari meritò possit, vt monstratum breuiter venio.

§. I.

Sententia Raynaudi de communione pro mortuis.

VT intelligatur, quid Hurtado reprehendat, compendio primùm referenda est doctrina Theophili Raynaudi, in quam Hurtado tantoperè concitatur.

Theophilus ergò vsurpans ipsissima verba S. Thomę lect. 6. in c. 6. Ioannis, dixit, *laici, communionem pro mortuis, fieri per errorem.* Non vult dicere S. Thomas, interuenire errorem in fide, cùm quis ita communicat: sed errorem vocauit, eo sensu quo Laurentius Ioubertus, suum quoddam opus Medicum, inscripsit, *de erroribus popularibus in re medica.* Et quo Antonius Faber, opus quoddam iuridicum, *De popularibus Pragmaticorum erroribus*, in lucem emisit. Laicos ergo pro mortuis communicantes errare in hoc sensu, dixit cum S. Thoma, Raynaudus à num. 8. sui libelli. Et probauit primùm, ex sensu antiquo omnium ad hanc diem Theologorum, in primisque S. Thomæ loco annotato, & 3. p. q. 79. a. 7. explicatissimè tradentis, *Communionem soli sumenti prodesse.* Nemo item eorum, qui hactenùs tractarunt de subsidiis

mortuorum,

mortuorum, memorauit vnquàm, Communionem: Quia viderunt omnes, Communionem esse subsidium, vel ferè, vel prorsùs inutile mortuis. Vsus antiquus Ecclésiæ, aliud habuit; nam cum astantes aliis sacris solerent communicare; in sacro tamen, quod pro defunctis fiebat, non communicabant. Et memini cùm circiter annos abhinc quadraginta, vsus communicandi pro aliis cœpisset in his oris induci, præstantem Theologiæ Professorem, Ludouicum Michaëlis, validè præter cæteros, in eam (vt vocabat) insulsitatem, ac iudicij inopiam, conclamasse; admonendo, perinde id esse, atque manducare pro alio, vel hominem sanum haurire pro ægro Pharmacum, quæ quanta foret absurditas, nemo non videt.

Harum rationum vim, sic aperuit Raynaudus. Si sumptio Eucharistiæ prodesset alij, quàm sumenti, vel prodesset ex opere operato, vel ex opere operantis. Priorem modum adhibuerat vnus quidam declamitator, & adscripti erant in Libris Asceticis prelo subiectis, celebres scriptores duo. Et idcircò Theophilus, suam lucubrationem, ex instituto, ac per se primò, contra eam sententiam conscripsit: tametsi per eam occasionem, attigit quoque modum posteriorem, quo communio dicitur prodesse alteri, quàm sumenti, ex opere operantis, si à communicante dirigatur ad alterum. Verùm prior modus (vt Theophilus à num. 8. demonstrauit,) est apertè ridiculus, nec vlli vnquam solido Theologo probatus est: Tametsi ex quo vnus quidam, vt applauderet Bertabus, eásque communicando pro mortuis, velut æquare sacerdotem pro eis sacrificantem, effutiuit, (comperta narratio, & quantumlibet grunniat Hurtado, nequaquam conficta) vnus & alter, quos dixi, visi sunt

eam fatuitatem adamasse. Attamen eorum vnus lectâ Theophili scriptione, depuduit vanitati, & in altera editione sui operis, erasâ priore illa sua opinatione, veram doctrinam substituit.

Posterior modus, parùm reuerà quadrat; quia cùm tres sint operis nostri vires morales, quibus videri posset, defunctos per superstites operantes iuuari, nempe meritoria simpliciter dicta, impetratoria, & satisfactoria: prima non habet locum respectu aliorum, nisi in Christo. (Vis meritoria de congruo, non attenditur; quia meritum congruum neque est simpliciter dictum meritum, neque est ex certa lege:) secunda vis moralis proposita, reperitur in sola oratione, cuiusmodi non est perceptio sacramenti: Imò ipsa oratio, præcisè vt impetratoria, est tenue defunctorum subsidium; quia post transitum ex hac vita locus tantùm est suffragationi per aliquam litri appensionem, non autem impetrationi gratuitæ. Tertia, quæ est vis satisfactiua, sequitur operis pœnalitatem, quæ in ordinario actu communionis, aut nulla est, aut perexigua. Quis enim labor est, in glutitione tantulæ hostiæ, per se loquendo? Hoc addo, quia si quis laborans angina, vellet tamen percipere Eucharistiam, non absque labore; ea perceptio posset esse satis pœnalis, atque adeò non parùm satisfactoria. Item communio illius Monachi, quæ memoratur in Actis S. Hugonis Cluniacensis, fuit haud dubiè multùm pœnalis, & consequenter satisfactoria. Impertiuerat S. Hugo cælesti pane quendam leprosum; Is mox à glutita sacra hostia, nauseam passus, timebatur vomitu eiecturus sacrum cibum. Accurrit Goderannus, (id Monacho sacrificij Camillo nomen;) & subiectâ vtrâque manu ori vomentis, sacram hostiam,

iniſtam cum vberi purulentia, & tetra illuuie è leproſi ſtomacho profuſa, excepit,& alacer reſorbuit; tanto S. Hugonis horrore,vt diceret, ſanctum Laurentium Craticulæ impoſitum,non plus perſenſiſſe Cruciatus,quàm pertuliſſetMonachus ille,ſic cõmunicando. Talis ergò Communio , haud dubiè eſt pœnalis , atque adeò ſatisfactoria. Per ſe tamen loquendo,& pręcisè ſpectando perceptionẽ Sacramẽti Euchariſtiæ,reſectis antecedentibus , & comitantibus,ac ſubſequentibus;(vt nunc facimus;) aut perparùm,aut nullatenus eſt laborioſa : atque adeò vel admodùm tenuiter ſatisſactoria eſt , vel nullatenus planè. Et tamen viator fidelis, non niſi ſatisfactorium operis ſui boni fructum , poteſt in defunctum transfundere. Vix igitur, aut nullo modo,Communio *vt Communio* , poteſt defuncto eſſe fructuoſa. Atque ita præſtaret laborioſum aliquod opus, v.g. flagellationem, aut ieiunium, vel Eleemoſinam in defuncti gratiam exequi. Vel ſi de Sacramentis agatur, præſtaret pro defuncto confiteri Sacramentaliter,quod eſt admodùm pœnale ; vel vxorem ducere, pro defuncto, humeros honorato illi ponderi (vt Nazianzenus appellat ,) ad immenſas ærumnas ſubiiciendo. Nemo tamen hactenùs , vel confeſſus eſt, vel vxorem duxit in gratiam defunctorum; nec repertus eſt quiſpiàm pro mortuis adeò ſollicitus, vt excitârit fideles , ad pectoris vomicam pro mortuis Sacerdoti aperiendam , vel inducendum ſe in tribulationem carnis, & ſpinas coniugio conſertas, per ſuſceptionem Sacramenti Matrimonij pro defunctis.

Hæc eſt ſumma doctrinæ Raynaudi,de Communione pro mortuis; quos negat conſolationem re-

cipere, audiendo, aliquem viuorum pro ipſis communicaſſe, præcisè attendendo perceptionem Corporis Domini: quia piè defuncti, norunt, quanti ſit ea perceptio in gratiam ipſorum facta: prætérquàm quòd ob infoſſam gurgiti doloris voluntatem, non ſunt capaces delectationis, & conſolationis, ſiúæ lætitiæ.

§. II.

Doctrinam propoſitam ſugillat Thomas Hurtado.

EXtremam particulam proximè adductam, Hurtado non ſecus ac Cacus caudam boum, quos in ſpelæum ſuum trahebat, validè prehendit, ſtomachatus non modicè, quòd negetur formalis conſolatio perfundens animas purgatorij: cùm tamen ſint tam fortia motiua ſe delectandi, animabus illis obuerſantia, quæ ipſe Hurtado paſſis eloquentiæ velis proſequitur à num. 578. ad numerum 583. Et roborat ſententiam ſuam autoritate, ac ratione. Autoritate quidem Abulenſis, quem ſequuntur Elias à S. Thoma, Suarez, Bonacina, Henriquez, Graffius, atque Coninck. Ratione autem, quia in Paraſceue, Sacerdos vtcunque ſacrificat, communicando: Et illud ſuum qualecunque ſacrificium in Eccleſiæ ſolius perſona factum, applicat toti Eccleſiæ Sanctæ, atque adeò etiam animabus Purgatorij. Quidni ergo laicus, nomine amici iam defuncti percipiens Corpus Chriſti, poſſit ad amicum illum ſubleuandum, comedere Corpus Chriſti, & aliquatenùs communicando ſacrificare per participationem

hostiæ anteriùs immolatæ?

Iam vt euertat rationes Raynaudi, argumentatur Hurtado, excutiens, quæ aduersarius protulit circa duplicem modum iuuandi defunctos per Communionem. Et adiutorium quidem ex opere operantis astruit Hurtado à num. 593. contendens vim satisfactiuam ex operis pœnalitate oriundam, esse permagnam in actibus orandi, & amandi ex Charitate. His quippè actibus, nostra nobis subtrahimus, & Deo subiicimus: quod esse valdè pœnale, probat Hurtado ex D.Thoma in 4.d.15.q 1.art.4.q.1.ad 1. agnoscente, vim satisfactiuam, quæ est frutex pœnalitatis, cerni in subtractione commodorum Corporis, quod maximè præstant duo actus prædicti. Oratio quidem, quia affligit corpus, & omnia nostra Deo totaliter submittit: Charitas verò, quia animum roborat, indita illi fortitudine, per quam caro infirmatur; quia dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis, vt ait S. Gregorius hom.15. in Ezech. Spiritu ergo per charitatem roborato, (qui est Sacramenti Eucharistiæ effectus maximè singularis, dicitúrque idcirco *panis fortium*;) atteritur caro; vnde pœnalitas,&virtutis satisfactiuę origo,in actu sic carnem atterente. Ergo Communio prout satisfactoria,iuuat defunctos. Accedit quòd quamuis perceptio Eucharistiæ Physicè spectata, vix sit laboriosa, atque pœnalis; tamen moraliter loquendo, est valdè pœnalis; quia per eam ad Deum accedimus, cuius summa Maiestas terrorem iniicit, & laborem longè maximum homuncioni infert. Nec mirum, cum columnæ cæli contremiscant in conspectu Domini; & rustici ante Regis conspectum, summo

pauore

pauore corripiantur. Itaque Eucharistiæ perceptio longè pœnalior, ac laboriosior est, quàm susceptio Sacramenti Pœnitentiæ aut Matrimonij. Hæc esse euidentia argumenta, statuit Hurtado n.596 &606.

Iam quod Raynaudus, negauit Communioni, præcisè vt perceptio est, vim impetrandi, reprehenditur ab Hurtado num.612. quia oratio est impetratoria. Atqui perceptio Eucharistiæ, reddit hominem valde aptum ad impetrandum. Igitur habet vim impetrandi omninò magnam: Et confirmat hoc, valdè neruosè, (vt ait num. 616.) quia ansa, titulus, & causa impetrandi, est meritum, & satisfactio Christi; quæ allegare, est petere in nomine Christi. Itaque, (vt subdit num. 617.) qui communicat, allegans Patri Christum, quem recipit, efficacissimè impetrat, & longè efficaciùs, quàm per feruentissimũ actum Charitatis. Vnde si susceptionem Eucharistiæ dirigat ad impetrandum defunctis leuamen, eos potentissimè subleuabit. Nec refert, quod Raynaudus ait, extra viam nihil remitti absque solutione, quam oratio præcisè prout impetratiua non exhibet: hoc, inquam, non refert, quandoquidem reuerà potest leuatio exorari defuncto, absque satisfactione. Imò iuxta Hurtadum num. 621. non vacat temeritate, id negare, quia est sententia indubitata, quòd sancti orent pro animabus Purgatorij, & iuuent eos, qui in ipsorum templis tumulantur; Cùm tamen certum sit, sanctos sola impetratione posse iuuare defunctos: ac proinde sapit errorem, dicere, quòd animæ Purgatorij non nisi annumerata pro eis solutione iuuari possint. Nec D. Thomas hóc dixit vnquam, tametsi illi attribuitur in 4.d.45.q.2.art.3.quæstiunc.3. Sed est

assumentum,

assumentum, malignè ab aliquo interpolatore attex-tum, atque adeò repudiandum. Quidni enim possint Sancti obtinere à diuina largitate, quod homo ab homine exorat, relaxationem scilicet debiti pœnæ, absque pretij annumeratione? Sicut ergò per Indulgentiam Pontificiam, absque satisfactione lucrantis indulgentiam, abstergitur reatus pœnæ; ita & per orationem prout impetratoriam; alioqui non possent defuncti per Indulgentiam subleuari, quod tamen est ex fide certum. Argumentum est manifestum, iuxta Hurtadum num. 628. & 630. Miratúrque admodùm potuisse homini Catholico venire in mentem, vt subsidium ab oratione prout impetratoria, & à Communione prout per orationem ordinata ad exorandam defuncto subleuationem; aut nullum, aut tenue nominaret: Cùm tamen sit subsidium adeò pingue, vt concludit num. 631. Non plura Hurtadus de Communione defunctis insigniter fructuosa ex opere operantis, quem fructum malè extenuebat Raynaudus.

Pergit Hurtado, ad vtilitatem mortuis prouenientem, ex opere operato Communionis, non quidem vt perceptio est, (quod nemo vnquam somniauit, & Raynaudus, qui id exagitat, finxit quem feriret, vt Hurtadus ait num 632.) sed alia quadam ratione, quam à num. 633. vestigat: fassus tamen ingenuè num. 649. se nihil hac in parte proferre, nisi ad imitandos SS. Patres, qui inter impugnandum hæreticos, ad alterum extremum declinarunt. Sic enim exagitando Raynaudum, adeò extenuantem fructus transeuntes Communionis, tentauit ipse Hurtado, eos fructus transeuntes adeò diffundere, vt etiam ex opere operato admittantur; Inprimis quatenus Com-

munio prout est opus iniunctum, concurrit, saltem vt conditio ad Indulgentiam: concurrit autem ex opere operato, quippè independenter à statu, & sanctitate lucrantis Indulgentiam, quam defuncto applicat. Deinde subleuat quoque mortuum Communio ex opere operato, quatenùs Communio infert communicanti charitatem; quæ ex consequenti, & per quandam concomitantiam, supra effectum principalem Eucharistiæ, infert remissionem pœnæ. Sicut enim consecratio panis, supra inductionem corporis, factam vi verborum, inducit ex opere operato, per concomitantiam naturalem, etiam animā Christi, non quidem vi verborum, sed ex eorum efficacia: Ita similiter perceptio Eucharistiæ, causando ex opere operato vnionem charitatis, debet etiam causare concomitanter effectum secundarium necessariò connexum cum primario, hoc est, satisfactionem pro pœna temporali, reatúsque abstersionem; quem Eucharistiæ effectum, qui communicat, potest à se abdicare, & transfundere in defunctum, iuxta generalem doctrinam, de concessa cuique transcriptione propriæ satisfactionis, in alium.

Sic exagitata vniuersâ Raynaudi doctrinâ, concludit Hurtado, *omnia Raynaudi argumenta, prorsùs friuola esse.* Nam D. Thomas, quo nititur lectione 6. in cap. 6. Ioannis, eos dicit errare communicando pro mortuis, qui putant communionem eis prodesse, præcisè vt est vsus Sacramenti, siue vt est perceptio: non negat tamen, quin possit perceptio defunctis prodesse, & ex opere operantis, prout est satisfactoria, atque impetratoria; Et ex opere operato, modis proximè expositis. Quod autem Raynaudus, silentium Theologorum causatur, non est audiendus; cum Gerso

Decanus præclariſſimus, agnoſcat fructum Communionis pro mortuis (vtique in ſenſu per ipſum Hurtadum tradito:) ſuffragatur quoque pius, ac doctus Antiſtes Nicolaus Cabaſilas, malè à Raynaudo ſchiſmatis, aut etiam hæreſeos inſimulatus: Purgatus autem à Gentiano Herueto, qui eum celebrat vt pium, & doctum virum; quod Raynaudus de Theodoreto pro ſe allegato non poterit dicere; cùm conſtet, eum ſchiſmate Græcanico fuiſſe inquinatum. Beatam quoque Gertrudem, & B Ioannem à Cruce, clarum eſt, ſteiſſe contra ſententiam Raynaudi, qui nimis licenter de ſanctarum mulierum reuelationibus eſt locutus. Prorsùs verò ridiculus eſt idem Raynaudus, cùm ait, ſuperſtites in charorum ſuorum exequiis non communicare, neque alios ad communicandum conducere. Vnde enim ſcit, hoc non fieri? Quod ſi fideles non faciunt, ratio eſt, quia non habent Sacerdotes ad manum, vt adeò frequenter communicent. Olim autem in Miſſis pro defunctis, omittebatur Communio laicorum; Id quod etiam pro ſe vrget Raynaudus, ſed perperam: Omittebatur enim tunc Communio, quia in Paraſceue, & triduo ante Paſcha, omittebatur oſculum Pacis, quæ eſt diſpoſitio prærequiſita ad communicandum; vnde nemo per illud triduum communicabat. Per proportionem ergo quia in Miſſis pro defunctis non dabatur oſculum, negabatur quoque Communio. Tandem ex eo, quòd, (vt Raynaudus argumentatur,) Sacramentum Euchariſtiæ ſit cibus, & Pharmacum, inferri duntaxat potuit perceptionem eius, directè, & per ſe, ſoli ſumenti prodeſſe ex opere operato; quamuis ex opere operantis, prout ſatisfactoria, & impetratoria; itémque ex opere operato, ſiue per Indulgentiam applicato,

ſiue effectum primarium concomitante, & abdicabili, poſſit tranſeunter prodeſſe, & defunctos ſubleuare.

Altè verò infixum hæret Hurtadi præcordiis, ſpiculum à Raynaudo infixum, & poſtico primæ paginæ, & in operis meta, cum adhibuit in cauſam ſuam, verba illa Innocentij III. *Falſa ſunt abiicienda remedia, quæ veris ſunt periculis grauiora.* Intolerabile enim cenſet Hurtado, vocare perceptionem Euchariſtiæ, falſum pro defunctis remedium; cùm inter externa opera ſit omnium ſubſidiorum optimum; ideóque (quantùm licet,) frequentandum, ſaltem in vicaria Communionis realis Communione ſpiritua-li, defunctos item ſubleuante, ex opere operantis; Et quidni etiam ex opere operato ſi ſit opus iniunctum, ad lucrandam Indulgentiam? vt ſanè poſſet, deficiente reali communione, iniungi.

§. III.

Iudicium de Hurtadi ſugillatione; primùm quidem quoad conclamationem in negatam à Raynaudo animabus Purgatorij gaudiorum vbertatem, & exquiſitas delicias.

VErâne, an falſa ſit Raynaudi doctrina §. 1. adducta, non moror in præſentia. Tantùm monſtrare conſilium eſt, quàm caſſo niſu eam appetiuerit Hurtado, & quam ineptè patrocinetur Communioni pro Mortuis, pro qua ſaragit. Itaque monſtrabo euaniditatem eorum, quæ in Theophili doctrinam intorſit; ſimúlque ea diſiiciam, quibus tentat declamationem

tionem suam contra eundem stabilire. Seorsim verò, dedecora in eius scriptione micantia repræsentabo.

Aggressus ergò Hurtado §. 3. ad Raynaudi confutationem, orditur à densa grandinatione per conuitia, quibus vix posset in hæreseos assertorem, coniicere tetriora. Arripit autem primo loco ad Cacochymiæ suæ profusionem, quod obiter dictum erat à Theophilo, animas Purgatorij, rescientes aliquem pro eis communicasse, non perfundi gaudio, eò quod in tanta cruciatuum immanitate, non habeat locum lætitia. Conclamat Hurtado in hanc assertionem, allegato Abulense, & vno, aut altero recentiore, qui dicunt, animas Purgatorij perfundi magnis consolationibus, & grandes, ac vberes delitias persentire.

Sed inprimis, hoc est, saltare extra chorum, quod huic scriptori perpetuum est. Quærimus enim, an per Communionem pro mortuis, abstergatur reatus eorum; non autem, an defuncti fideles mulceantur maximis consolationibus, cùm audiunt, superstites communicare pro illis; Id enim est alterius loci, in quem idcircò ablegatum est à Raynaudo. Deinde illa consolationum vbertas in tam atroci Viuicomburio per Hurtadum ostentata, ægrè cohæret cum animarum illarum miserrimo statu, & acerbissimis cruciatibus, quos certum est (recisa æternitate, & excipientium rabie) plerúmque superare immanitate, Cruciatus Inferni damnatorum. Nôrunt quidem piæ illæ animæ, spem bonam sibi esse repositam, & finem denique fore suis cruciatibus: Et quia norunt, se iustè plecti, boni Patris iram, cum patientia, & æquanimitate excipiunt. Tamen sentiunt cruciatuum suorum acerbitatem, & tantis tormentis subiacent, vt attenta

infossione

infoſſione voluntatis in abyſſum doloris, nullam actu delectationem percipiant, ex variis illis motiuis conſolationis, quæ intellectui ipſarum obuerſantur. Sicut damnati, quamuis poſſent pro eis quoque, excogitari aliqua motiua lætitiæ, tamen reipſa nullo gaudij ſenſu perfunduntur, ob indiuiſionem dolorum Domini, vt exponit S. Gregorius 15. Moral. cap. 21. hauriunt enim perpetuò calicem vini meri, & præoccupatam habentes tanta doloris acerbitate voluntatem, nullius planè gaudij ſunt capaces, vt rectè philoſophatur Guil. Pariſienſis 3.2. de vniuerſo c.4. adducto exemplo eius, cui intra incenſiſſimam fornacem iacenti, humana ſolatiola fruſtrà proponerentur; nihil enim idcircò remitteretur de ſummo dolore, nec vllus lætitiæ ſenſus ei obtingeret. Idem ergò contingit damnatis iuxta Gulielmum. Et eodem modo philoſophatur Vaſquez 1.p.d.242.n.7. & 8. reiectis Ochamo, & Gabriele, (quibus ſubſcribit Molina 1.p.q.64.a.3.) aſſerentibus, cauſam perpetuæ damnatorum triſtitiæ, nullo vnquam gaudio dilutæ, referendam eſſe in violentam ſubductionem diuini concurſus, neceſſarij ad eliciẽdum actum gaudij. Sed nihil attinet, tale miraculum inuehere, cùm ex natura rei ad excludendum quemcúnque ſenſum lætitiæ, ſatis ſupérque ſit abyſſus doloris præoccupans voluntatem; in quam proinde immiſſa ſuauitatis gutta, amarorem potiùs contraheret, quàm aliquid ſuæ dulcedinis ſubiecto ſic malè affecto imperttiret. Ratio porrò aſſignata omnimodæ huius excluſionis gaudij, æquè vrget circa animas Purgatorij ac circa damnatos, & dæmones. Quæ verò pro deliciis magnis animarum Purgatorij adducit Hurtado, ſunt planè inania; & ad ſummum probant, ſuppetere

petere piis animabus motiua, è quibus progerminaret formale gaudium, si subiectum esset expeditum ad gaudij receptionem. Aliàs, dicuntur animæ Purgatorij abundare consolationibus, non quòd habeant dulcem sensum, à quo tristitia imminuatur; (quæ essent consolationes noxiæ, & diutiùs remoraturæ animas procul à cœlo) sed quod muniantur scuto cordis, id est, æquanimitate, & subiectione voluntatis ad sedatè ferendum vltorem Deum; quod vnum voluit Suarez, malè intellectus ab Hurtado. Qui item ridiculè, in animabus Purgatorij distinguit intellectum superiorem ab inferiori, & voluntatem superiorē ab inferiori; & animas Purgatorij, ait præoccupari à doloribus secundùm solum intellectum. & voluntatem inferiorem; quamuis intellectus, & voluntas superior in eis non præoccupetur, alioqui non possent amare Deum. nec sperare beatitudinem. Ain? Sed cogitare te oportuerat, intellectum inferiorem, alium non esse, quàm Phantasiam; & voluntatem inferiorem aliud non esse, quàm appetitum sensitiuum; quæ inferiores potentiæ, in nobis ostreo carnis conclusis, habent locum, non autem in animabus separatis, atque dæmonibus. Item cogitandum tibi fuerat, amorem, ac spem, benè cohærere cum voluntate doloribus acerbissimis præoccupata; non item lætitiam, & gaudium. Itaque hæsit hîc aqua, Hurtado.

Reponit tamen argumentum, quod ait esse manifestum. Probat ergò, cùm quis pro mortuo communicat, eũ, si id resciat, (vt facilè rescire potest,) omnibus lætitiis incedere. Nam Sacerdos in Parasceue sacrificat ex præsanctificatis; & illud sacrificium nomine publico offert Deo, ad vtilitatem totius Ecclesiæ

suæ

suæ ſanctæ; atque adeò etiam animarum Purgatorij; in quo aliquali ſacrificio, nihil reipſa eſt præter communionem. Quidni ergò, ſi laicus ſimiliter nomine ſuo communicet pro animabus Purgatorij, maximum eis ſolatium, & conſolationem impendat? Vt aliquid ad rem faciens dicatur hîc ab Hurtado, oportet *ſolatium* ſumere pro delectatione, & lætitia. Hic autem actus, cur non poſſit à communicante conciliari animabus Purgatorij, iam dictum eſt; nec ab Hurtado (vt promiſerat) eſt manifeſtè monſtratum Similitudinaria verò illa ſacrificatio diei Paraſceues, ſine iudicio in hanc rem adducitur, quia quod ibi appellatur *ſacrificium*, non eſt communio: ſed ritus ſacer ſpecie externâ aliquatenus conſimilis vero ſacrificio, cuius idcircò nomen retinet. Vt apud Ethnicos in ſacris, deficientibus veris, ſimulata ad memoriam & ſolatium aliquod adhibebantur. Apud nos quoque ſacrum ſimilitudinarium, nec niſi aliquatenus ſpecie externa idem veri retinet appellationem vt videre eſt in Miſſa nautica, & vt aliqui vocant, *ſicca*, cuius olim vſus erat in longis nauigationibus, priuſquàm in fluſtro auderent ſacrificare.

§. IV.

De Raynaudi per Hurtadum criminatione, ob negatum, vel extenuatum Communionis pro Mortuis fructum ex opere operantis, quatenus ſatisfactiuo.

SIc præſtructo ſibi aditu ad huius negotij penetralia, contundendum ſuſcipit Hurtado Raynau-

dum, ob negatam, vel extenuatam, vim ſatisfacti-
uam perceptionis Corporis Chriſti, ſiue Commu-
nionis. Adhibet autem rationem, quam recisâ loqua-
cis huius Fabij verboſatione, in hæc pauca contra-
ho. Pœnalitas operis eſt radix virtutis ſatisfactiuæ
applicabilis defuncto: Atqui in Actu orationis, &
amoris perfecti, ſiue charitatis, eſt maxima pœnali-
tas, quandoquidem per orationem ſubmittimus
omnia noſtra Deo: Per charitatem autem, anima ro-
boratur, vnde iuxta D. Gregorium ſequitur corporis
afflictio. Igitur perceptio Euchariſtiæ, eſt maximè
pœnalis, atque adeò maximè ſatisfactoria; & proinde
poteſt applicari defunctis. Ita Hurtado num. 596. &
597. oſtentans hanc argumentationem vt euidentem.

Poſſim ſanè hac ratiocinandi tarditate conſidera-
ta, illud ipſum Hurtado occinere, quod ipſe n. 59[illegible]
in Theophilum ex Nazianzeni codice, qui apud ip-
ſum ſolum legitur, cachinnando intorſit; dicens,
eum, dum citat equum, incitare debere iuxta Nyſam,
hoc eſt, (inquit) à ſcopo aberrare non debuiſſe; quod
an eo loco fecerit Theophilus, infra dicam. Hurtado
autem, apertiſſimè id præſtitit hoc loco. Cùm enim
agamus de ſolo opere perceptionis Euchariſtiæ, an ſit
pœnale, & ſatisfactorium; ipſe obtrudit actum ora-
tionis, & amoris, quos ait eſſe maximè pœnales. O
bone, quò te pedes? Vbi tuum iudicium? an iidem
actus tibi ſunt, perceptio Euchariſtiæ, & oratio, vel
actus charitatis? Quorſum igitur, vt probes perce-
ptionem Euchariſtiæ eſſe, (vt tu vis) actum maximè
pœnalem, adducis actum orandi, & amandi? hoc La-
tinè vocatur, probare quidlibet, per quodlibet, Et
cùm nihil ad rem dicas, iactare, te rem ſole clarius
patefeciſſe. Dices, te hos actus proferre, quia ple-

C rúmque

rúmque antecedunt Communionem vel ei comitantur: Sed hoc si dicas, saltabis nihilominùs extra chorum, quia non est quæstio de actibus Communionem antecedentibus, aut comitantibus, sed de sola Eucharistiæ perceptione. Alioqni si inter communicandum validè humeros contunderes admoto flagello; aut caro tua horrido cilicio applicito liueret, æquè posses argumentari, & probare, quòd perceptio Eucharistiæ sit actus valdè pœnalis, ratione flagellationis eam comitantis, aut admotionis cilicij; qui tamen sunt actus valdè per accidens adiuncti Communioni, siue perceptioni Eucharistiæ. Per Mastrucam tuam, Hurtade, auderésne sic argumentari in rem propositam? Et tamen eo planè reuoluitur argumentatio tua, iuxta responsum hoc, si illud astruas, tuúmque esse velis.

Verùm condonemus Hurtado, hanc argumentandi ruditatem. Videamus, an pœnalitas in actu orandi, & amandi, tanta sit, quantam ipse comminiscitur. Oratio (inquit) submittit nos totos Deo; Amor autem roborat animam. Ergò sunt actus maximè pœnales. Hoc sanè est, non incitare equum iuxta Nysam, sed vagari extra stadium, & fabrum cadere, cum ferias fullonem, ex antiquo apud Arnobium adagio. Quid enim orationi, & submissioni nostræ ad Deum, formaliter, & præcisè loquendo, vt non facimus? An refingenda erunt omnia Dictionaria, vt Hurradus habeat nouas vocum notiones, ex quibus in rem suam compingat argumenta? In omnibus hactenùs vocabulariis, nomen *Orationis* significat *petitionem*. Vnde ergò habet Hurtado, quòd denotet *submissionem?* Submissio enim non est petitio, formaliter, ac directè loquendo; (vt Theologum rude donatum lo-

qui

qui decet:) sed est actus humilitatis, quæ longè alia virtus est, quàm Religio, ad quam pertinet oratio. Et quamuis in actu exercito, cernatur in orante, ac petente submissio, quâ se profitetur mendicum, iuxta S. Augustini doctrinam; tamen neque ea submissio, neque ea petitio, actus sunt adeò pœnales, nisi si diù continuentur, & magna cum contentione animi exerceantur. Per se autem loquendo, oratio potiùs infert gaudium, quàm laborem, iuxta illud Iacobi. *Tristatur quis in vobis? oret.*

Amor item perfectæ charitatis, tantùm abest, vt sit adeò ærumnosus, ac fingit Hurtado, vt potiùs sit dulcissimus, vt S. Bernardus sæpè sæpiùs affirmat: Et inde patet, quòd amanti nihil est difficile. Vrget Hurtado; sed Amor roborat animam; ergò affligit corpus. Hæc consequentia est Hurtado digna; nam per se loquendo, quod roborat animam, corpori quoque vegetando est accommodatum: sicut è contrario, quod animam atterit, corpus item debilitat, iuxta illud. *Animus gaudens* (quod maximè præstat amor) *ætatem floridam facit; Spiritus tristis exsiccat ossa.* Absurdè igitur, ex roboratione animi per actum charitatis, infertur eius pœnalitas. Verum est, charitatem sæpè insilire in ardua, & indicere actus, aut perpessiones perdifficiles, vt egregiè expendit Theodoretus orat. de charitate, qua conclusit religiosam historiam: sed hoc non est, charitatem esse formaliter pœnalem; sed ad summum, causaliter, quod nihil refert ad institutum. Igitur vniuersa Hurtadi substructio, pessimè materiata est, & vndecunque rimas agit.

Firmat laborantem ratiocinationem suam Hurtado, quia per charitatis actum, ad Deum accedimus; quod tametsi Physicè non est laboriosum, moraliter

tamen est valdè pœnale, attentâ tantâ dignitate, ad quam columnæ cœli contremiscunt: quantò magis homuncio, quid Deum expauescit? (ait Hurtadus impingens colaphum Prisciano, & verbum neutrum vsurpans tanquam actiuum:) sed condonando ei hanc stribiliginem Grammaticalem, ridiculè cespitat in negotio Theologico, confundens actum charitatis cum timore reuerentiali, retrocedente præ sancto pauore; Cum è contrario charitas accedat, & stringat Deum quàm suauissimè. Neque tamen pauor ille, (qui actus est humilitatis præclarè expositus à Scoto in 3.d.34. q.vnica, & ibidem Richardo art.2 q.4.) tam pœnalis est, vt sibi fingit Hurtado.

Et vt eius comparationes non prætermittantur, perspicuum est, eum sanctum recessum non esse adeò ærumnosum, ac laboriosum, quàm est accessus ad coniugium, quo innumeræ cruces inferuntur, v plenè prosecutus est contra Iouinianum S.Hieronymus, & ex eo, aliisque planè multis Raynaudus in opere de martyrio. Neque item pauor ille tanto labore hominem onerat, quantò retectio conscientiæ in Sacramento Pœnitentiæ, in quo sæpè, pudenda, & putentia sunt aperienda: Quidquid de his comparationibus gratis in contrarium statuat Hurtado, quia neque tribulationem carnis coniugio adhærentem, (quantùm arbitror) est expertus; neque admisit vnquam, pro quibus confessario aperiendis suffundi ingenti rubore, necesse haberet. Sed non omnibus idem datum est. Itaque labor eorum, superat haud dubiè laborem pauoris, præ humilitate à Dei maiestate recedentis; ac proinde possent isti confiteri de peccatis, & matrimonium contrahere in gratiam defunctorum, multò magis, quàm Eucharistiam percipere.

Quod

Quod autem Hurtado, inter instituendas hasce comparationes laboris, & fructus satisfactorij consequentis pœnalitatem Communionis, ait , hoc esse omnium maximum , ac præstantissimum defunctorum subsidium, reuoco illi in memoriam , hoc esse contra fidem, cùm Synodus Tridentina apertè doceat, id essè tribuendum sacrificio , non Sacramenti perceptioni.

Penè exciderat potens illud Hurtadi argumentum non iam pro labore orationis, & amoris ; sed pro ipsiusmet Communionis summa pœnalitate, inde ductum, quòd ex doctrina Patrum , & Conciliorum, perceptio Eucharistiæ fomitem nobis innatum restinguit , & totam natiuitatis nostræ à Gehenna inflammatam refrigerat , atque adeò maximè affligit corpus. Ita ille num. 599. crassè admodùm imaginatus, restinctionem, vel potiùs nonnullam mitigationem fomitis, fieri per immissionem frigoris. Quod si ita esset , B. Virgo , quæ fomitem habuit supra omnes puros homines restinctum, temperiem habuisset frigidissimam , & à connaturali hominibus dispositione, valdè dissentaneam. Restinctio itaque fomitis in communicantibus, id est, retusio, ac hebetatio aliqua telorum, queîs caro spiritum impeteret , non fit per afflictiuam corporis distemperiem à Sacramento illatam ; sed per subministrationem auxiliorum accommodatorum , ac benedictionum dulcedinis, quibus caro desipit , & quæ ad eam in damnum spiritus vegetandam facerent, amarescunt , vnde remissio lasciuiæ. Itémque oritur ex occasionum remotione, per extrinsecam prouidentiam, tela nequissimi ignea auertentem. Quibus sanctimoniæ corporeæ subsidiis, ita munitur per communionem pia anima , vt idcircò corpus non atteratur, sed potiùs exultet in Deum

viuum. Possem hic imitatione Hurtadi, passis velis excurrere, quia de multis paginis fæno, aut paleâ implendis, & benè saginando volumine, est admodùm sollicitus Ego hæc pauca libasse summis digitis contentus; porrò pergo ad reliquas hominis exertationes, spectantes impetrationem.

§. V.

Discussa Raynaudi per Hurtadum exagitatio, ob sublatum, vel imminutum fructum Communionis pro Mortuis, ex opere operantis impetratorio.

STomachatur Hurtadus in Raynaudum, negantem Eucharistiæ perceptionem, prout præcisè perceptio est, impetratoriam esse. Imò verò (inquit, & esse *neruosum argumentum* admonet,) perceptio illa, vt sic est maximè impetratoria. Redit enim hominem valdè idoneum ad impetrandum, eo ipso quod homo communicans allegat Christum, & merita eius, quo nihil est ad impetrandum efficacius. Pax tecum, Hurtade; hoc non est ratiocinari, sed rudere. Nam si quod reddit hominem aptum ad impetrandum, pollet vi impetratiua, ergo Baptismus, & quoduis aliud Sacramentum, eâ vi præditum est, cùm conferat gratiam sanctificantem, maximè opportunam ad impetrandum. Absurdè verò dicitur, hominem communicantem, præcisè prout percipientem Corpus Christi, allegare Christum, & eius merita: sed homo communicans, præcisè vt communicans, sumit intra se Christum, & consequenter effectui meritorum eius participat,

participat, quod longè aliud eſt, quàm petendo impetratore, vel vi impetratoriâ pellere. En igitur quàm ad rem, & quàm ſolidè argumentatur Hurtado, cùm *argumentatur neruosè*. Cæterùm quod ait, hanc impetrationem per allegationem Chriſti, plus ſubleuare animas Purgatorij, quàm feruentiſſimum actum charitatis; pugnat cum iis, quæ aſſerit, extollens actum charitatis ſuper omnia planè ſubſidia Mortuis per ſuperſtites ſubminiſtrabilia; nimirum homo ſummus, & Rhetoricator maximus, quidquid attingit, pro ſummo, & grandiſſimo habet: vt ille apud Senecam Senecio. Nec illud omittendum, notari grauiter ab Hurtado Raynaudum, negantem defunctos admodùm ſubleuari per nudam impetrationem, ſeclusâ pœnalitate, & vi ſatisfactiua pœnalitatem conſequente. Hoc explodit Hurtado, quia Indulgentiæ non ſunt ſatisfactiuæ, & tamen defunctis applicatæ, abſtergunt eorum reatum. Sed hæc argumentatio, ſupinitatem arguentis manifeſtam facit: Nam dicere, Indulgentias carere ſatisfactione, eſt laborare ignoratione terminorum; Cùm nihil aliud ſit Indulgentia, quàm annumeratio pretij pro temporali reatu debiti; collatis in eam rem Chriſti, & ſanctorum ſatisfactionibus, vt Clemens VI. definiuit in Extrau. *Vnigenitus* de Pœnit. & remiſſion. Quòd autem nuda impetratio extergat defunctorum reatum, inueriſimile eſt, cùm extra viam poſitis, nulla ampliùs fiat gratuita remiſſio. Quod ſi ſancti orant pro defunctis, vt habet Eccleſiæ ſenſus; non tamen ſubleuant defunctos per nudam impetrationem remiſſionis debitæ pœnæ; ſed vel orando Deum, vt dignetur illis applicare partem aliquam ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum in Eccleſiæ gazophilacio aſſeruatam; vel

petendo

petendo, vt dignetur excitare fideles ad dignè pro defunctis satisfaciendum. Sic deiectis omnibus Hurtadi machinis, liquere videtur, fructum Communionis ex opere operantis, quem ipse adeò pinguem esse contendit, admodùm reuerà tenuem esse, nec nisi contendentis obesitatem redolere.

Ad tam infelicem earundem machinarum collapsionem emotus, & quadrupedante sonitu putrem quatiens campum Hurtadus, non absque nonnullius ferociæ sensu, exclamat. Quid? An non possum, Actum perceptionis Corporis Christi à me prodeuntem, dirigere ad animas Purgatorij, volens eum actum meum, sin minùs vt satisfactorium ob tenuem pœnalitatem; at saltem vt impetratorium ad illarum subleuationem ordinari? Quis hoc dicat verum non esse, *nisi subuentanea dicat?* Phrasis est Hurtadiana ex fragrantibus areolis lectissimæ latinitatis eius, decerpta, qua dictum incongruum cum ouo sterili componitur, per valdè concinnam metaphoram: sed erit, qui illud Augustini reponat, *Nullo modo sonat disertè, quod dicitur ineptè.* At ineptissimum est, cum ouis subuentaneis conferre assertionem, præsertim verissimam; qua negatur, opus ex satisfactiuæ virtutis vacuum, posse pro libito operantis dirigi ad satisfaciendum pro mortuis: vel actum tenuissime satisfactorium, eo ipso quòd ordinatur ad eximiè satisfaciendum pro illis, euadere insigniter satisfactorium, ita vt possit ostentari pro maximo, quod habeamus ad mortuos subleuandos subsidio. Hoc ridiculum planè est; Directio enim operantis debet supponere intrinsecam operis aptitudinem, & proportionem cum tali fine, alioqui erit absurda directio, & fructus vacua. Habemus exempla similia in iis, qui ad Dei

honorem,

honorem, aut ad ſanctorum gloriam, perpotant; vel qui vouent ad Dei honorem, intereſſe vano ſpectaculo, puta, agitationis taurorum; aut qui ad Dei honorem vouent ire in agrum, etiamſi ea profectio ex ſe indifferens, nullo conueſtiatur medio ad Dei honorem commodante. Tunc enim ordinatio operis illius ad Dei gloriam, inepta eſt, nec honeſtatem religionis operi conciliat, ſed illud exſuccum relinquit, ac euanidum, quale erat ante ordinationem, vel directionem, vt rectè argumentatur Suarez l. 2. de voto c. 4. n. 7. Idem ergo contingit in re præſenti, in qua Hurtado ſubuentanea dicit, cùm opus ex ſe non ſatisfactorium, vel tenuiſſimè ſatisfactorium venditat pro ſummo defunctorum ſubſidio, tantùm quia à communicante dirigitur in eum finem ſubleuationis animarum.

Sed vt ſiſtamus in opere prout impetratorio, de quo nunc agimus, æquè ineptit Hurtado, cum actum, qui non eſt oratio, venditat pro maximè impetratorio, tantùm quia operans vult eum actum eſſe impetratorium. Eſto, actus ipſe referendi tale opus ad obtinendum illum finem videatur habere rationem petitionis; tamen non modò actus referens perceptionem ad talem finem, differt à perceptione ipſa, de qua ſola erat quæſtio; (quo ipſo ſumus extra controuerſiam:) ſed etiam perceptio, prout ſubſtans illi ordinationi, per parùm poteſt defunctos iuuare; vnde D. Thomas lect. illâ ſextâ, communionem (etiam prout huic ordinationi ſubſtantem) habuit pro erronea, id eſt, inutili mortuis, quoad abſterſionem reatus. Et meritò, nam ſi quid eſſet in ea perceptione accommodatum vſui defunctorum ad abſtergendum reatum, manare deberet ab actu illo ordināte; (quia de ipſius

D actu-

actus ordinati aut nulla, aut pertenui vtilitate iam liquet.) At actus ille ordinans perceptionem ad mortuos, neque eis multum conferre potest, vt satisfactorius, neque vt impetratorius. Non vt satisfactorius, quia vix est in eo pœnalitas aliqua. Non vt impetratorius, quia quod attinet ad remissionem pœnæ debitæ, impetratio nuda non iuuat defunctos. Nimirum ex quo puteus vrsit supra aliquem os suum, non est amplius locus petitioni pro relaxatione reatus, quo grauatur, nisi petitio simul sit pœnalis, vt fieret, si esset prolixa petitio, vel facta cum magna animi contentione, quod per se loquendo non cernitur in illa ordinatione perceptionis Eucharistiæ: quamuis petitio, quasi per anfractus possit iuuare mortuos, v.g. impetrando, vt annumeretur pro eis litrum idoneum ex Christi, aut Sanctorum satisfactionibus, vel vt Deus excitet aliquos, qui per opera pœnalia reatum defunctorum extergant, quandoquidem pro reatu mortui nihil impetratur, nisi soluendo. Quæcunque ergo generosissimus Hurtadus, pro fructu transeunte Communionis ex opere operantis, tanto cum bombo ostentabat, conciderunt, vt manifestè inania; Possemúsque casum munimentorum Raynaudi, tubâ veritatis insonante (sic de se modestè loquitur Hurtado,) ineluctabiliter disiectorum; contritis validitate rationum, machinis eius omnibus, insultando in faciem ei regerere, adhibito Prosperi in Collatorem celeumate.

Vides Hiericunthinos muros tuos,
ad Sacerdotalium tubarum ruisse concentum?

§. VI.

De eodem fructu Communionis pro Mortuis ex opere operato, siue Sacramenti, communiter exploso, siue alio, recens, ac primùm ex ingenio per Hurtadum fabrefacto.

PErgo ad subuentionem defunctorum per Communionis effectum ex opere operato causatum; non quidem illum, quem Raynaudus in suo libello suscepit ex instituto eliminandum; incidenter tantùm de subuentione ex opere operantis locutus: Eum enim propriè dictum fructum Mortuis ex opere operato Communionis applicatum; Hurtado vltrò dat esse subuentaneum, atque commentitium. Excogitauit tamen alium fructum Communionis, defunctis ex opere operato proficuum, qui cùm hactenùs nemini in mentem venerit, iure Nouìtius audiet, nec sua se annositate commendabit. Cedo enim vel vnum antiquum, imò etiam vel vnum recentiorem Theologum, qui aliter Sacramenti opus operatum exposuerit, quàm per opus Christi meritis perfusum, & ex Christi institutione independenter à ministri sanctitate fructuosum, si desit obex? Sed audiamus nascenté è montibus parturientibus ridiculum murem.

Ait ergò Hurtado, perceptionem Eucharistiæ iuuare defunctos ex opere operato, quia est conditio ad lucrationem Indulgentiæ, atque adeò concurrit ex iustitia, proindéque ex opere operato. Item (vt ait num 642. ex D. Thoma, quem exscribit) Sacramentum remittit reatum secundùm modum deuotionis, & feruoris, qui est in recipiente. Ergo, remittit ex

opere operato,non tantùm communicanti, ſed etiam aliis, in quos communicans eum fructum abdicabilem transfuſum voluerit, etiamſi ſit collatus per concomitantiam ad collationem primarij effectus Sacramenti,atque adeò ex opere Sacramenti operato.

Hîc rurſus Hurtado de more ſaltat extra chorum, & pro ſolemni ſibi prærogatiua, quidlibet infert ex quolibet. Cùm enim agamus de fructu ex perceptione Corporis Chriſti, quorſum intrudit Indulgentiam? At ô bone; num omnis, qui communicat,conſequitur Indulgentiam, præſertim mortuis applicabilem? Sed (inquit) Bulla Cruciatæ eſt pro omnibus. Iterum dico. O bone; num tuis duntaxat Iberis eam Bullam ad manum habentibus, ſcribis? An putas nullos eſſe alios fideles ad ſacram menſam accedentes, quàm qui trans Pyreneos degunt? Gallia orbis oculus, Anglia, Germania, Polonia,Lithuania, & maior pars Italiæ, quæ ſit Bulla Cruciatæ, vix de nomine norunt; tantùm abeſt, vt ex eius facultate, Indulgentias defunctis applicabiles communicando conſequantur. Itaque in magna orbis parte Indulgentiæ defunctis applicabiles vix ſunt ad manum, niſi beneficio icuncularum æ nearum, aliorúmve huiuſmodi pietatis inſtrumentorum Pontificia benedictione initiatorum; quibus omninò multi fideles deſtituuntur. Quomodò ergo communio illorum,iuuabit defunctos ex opere operaro? Itaque prorsùs extra rem Hurtado, poſcenti trullam, porrigit cœmentum; & pro Sacramenti perceptione, de qua quæritur, adducit Indulgentiam, quæ non niſi per accidens perceptioni illi adiungitur, & frequentiſſimè non adiungitur. In toto itaque hoc puncto, Hurtadus manifeſtè eſt magnus Nugipolyloquides.

Quoad alteram vero viam exponendi opus operatum perceptionis Sacramenti ad mortuos transfusibile; inprimis ridiculè Hurtado pro nouo suo opere operato adducit S. Thomam, qui manifestè agit de abstersione reatus ex opere operantis, cùm dicat eam reatus abstersionem, causari pro cuiusque feruore, & deuotione; qui modus loquendi præfert opus operantis, non autem opus operatum. Et cùm D. Thomas agat de abstersione reatus ipsiusmet communicantis, Hurtado S. Thomam pro se adducit, tanquam egisset de reatu defuncti. Sed hoc demus Hurtado, sæpè vocanti ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Explodendum verò est, quod ex suo cerebro nouam quandam concomitantiam inducit, qua ex opere operato tollatur reatus pœnæ; ita vt, sicut non vi verborum, sed ex efficacia eorum, anima Christi ponitur cum corpore; ita ob collatam ex opere operato vnionem ad Deum per charitatem, extergatur concomitanter ex opere item operato, per Communionem, reatus pœnæ: Hæc, inquam, noua concomitantia reiicienda est; Animam enim poni simul cum corpore, non per efficaciam verborum ridiculè distinctam à vi verborum, sed ob naturalem connexionem, mirum non est; quia corpus viuum, quale est in Eucharistia Corpus Christi, non potest esse absque anima: Sed abstersionem reatus similiter connecti cum vnione per charitatem, Hurtado non probat. Vnio enim habitualis, quæ sola ritè communicanti confertur necessariò, non est siue connaturaliter, siue ex quacunque necessitate, connexa cum detersione reatus aut totali, aut partiali; cum possit quis gratiam, atque adeò etiam charitatem habitualem comparare, vel augere, absque abstersione quacunque temporarij reatus

pœnæ. Vnde enim habetur ea connexio? Sanè cùm Christus sacrificium nouæ legis instituisset, collata ei vi ad abstersionem reatus temporalis, non fuit, cur Sacramento eandem vim adiungeret. Itaque tametsi Communio confert gratiam sanctificantem, & charitatem habitualem, reatum tamen temporalem non abstergit, quâ est vsus Sacramenti. Neque hic effectus Sacramento Eucharistiæ à Conciliis, aut Patribus, vel à Theologis attribuitur, sed tantùm sacrificio. Itaque figmentum nouæ concomitantiæ Hurtadianæ, omnibus retrò Theologis inauditæ, abit in fumũ.

Sed gratis demus, collationi vnionis habitualis cùm Deo per Communionem factæ, adiungi concomitanter remissionem reatus: Negandum tamen est, eam remissionem ex opere operato factam, subesse communicantis dispositioni, ita vt possit eam remissionem à se abdicare, & in alium pro sua voluntate transfundere. Nam ille effectus, si reuerà confertur, prodit à perceptione Corporis Christi, prout est opus ipsius Christi, non autem prout est opus hominis communicantis.

Dico esse opus ipsius Christi, quia ex Christi institutione assumetur ad certi effectus causationem: non quòd physicè ab homine non prodeat, sed quòd perinde moraliter se habeat, ac si esset ipsius Christi operatio: sicut gratia præueniens, quamuis physicè sit actus hominis, tamen moraliter tribuitur Deo, diciturque fieri in nobis sine nobis. Sicut ergò actio illa, quæ propterea dicitur opus operatum, quatenus concilians gratiam, non subest hominis dispositioni, sed independenter ab eius conditione, & voluntate, exerit vim suam, quoad primarium bonum communicanti collatum: ita etiam quoad accessorium,

rium,

rium, hoc est, quoad reatus temporarij detersionem, si admittatur, eam per Sacramentum conferri. Vnde homo non est eius dominus, nec potest de ea disponere in alterius bonum. In quo est disparitas inter actum satisfactionis ex opere operantis elicitum, de quo homo operans potest in alterius commodum disponere quoad vim satisfactiuam, quia hoc opus non est moraliter opus Christi, sed hominis diuinitus adiuti. Secus verò res habet in opere operato.

Verùm non fuit, cur sollicitè insisterem disiiciendæ huic molitioni Hurtadianæ, ad inuehẽdam nouam concomitantiam causatiuam detersionis debiti pœnæ ex opere operato; cùm ipsemet primus huius inuenti faber, vltrò fateatur, hoc totum incertum esse, & se imitatione Patrum hæreses impugnantium, vltrò ad alterum extremum procurrere hac in parte. Et poterat æquè dicere imitari, se afotos de quibus scriptum est, dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

§. VII.

De Raynaudi per Hurtadum exarmatione prorsùs omni autoritate, & è contrario de ostentatis ab Hurtado pro sua sententia autoritatibus.

SVpposita infractione omnium Raynaudi rationum, si Hurtado credimus, considerandum restat, quantum sit eidem Raynaudo præsidium ab autoritate. Nam quamuis in benè ordinata disputatione, rationi ianuam aperiat autoritas, iuxta D. Augustinum: tamen quia Hurtadus aliunde occepit, non potuit

tuit in hac Hurtadi insecutione, inde fieri initium.

Exarmat ergò Hurtadus Raynaudum omni suffragio autoritatis, & præsertim D. Thomæ, quo Raynaudus maximè nititur, cùm S. Doctor lect. 6. in c. 6. Ioannis expressè dicat, laicos pro Mortuis communicantes errare. Hoc Hurtado num. 575. vno verbo extricat, dicens, S. Thomam agere de communione moraliter facta per alium; sicut herus facit Eleemosynam per seruum, cui committit pecunias erogandas. Eo enim sensu Eucharistia percepta iuuat solum sumentem, quia nemo nomine alterius communicat, sicut nemo nomine alterius manducat: quamuis perceptio Eucharistiæ, prout est propria communicantis actio, possit esse mortuo vtilis. Quia tamen ipse Hurtado vacillante memoria (vt infrà notabo,) alibi dicit, aliquem posse nomine alterius manducare, & communicare, propterea expeditior est alia euasio, quam adhibet num. 631. Dicens S. Thomam agere de fructu Communionis ex opere operato vi Sacramenti, non autem de fructu communionis ex opere operantis, quem ibi disertis verbis admittit, quatenus ait, communionem ex intentione communicantis posse ordinari ad alium eique communicari.

Verùm habemus in primis ex hoc D. Thomæ testimonio, non imbelle telum, quo Hurtadus saucietur. Nam num. 632. asserit, neminem vnquam somniasse quòd communio transeunter prosit ex opere operato; Et Raynaudum hoc impugnantem, ait confinxisse sibi, quem feriret. Tenemus ergò Hurtadum in calumnia manifesta: quandoquidem nunc agnoscit S. Thomam damnare erroris aliquos sic arbitratos, & ex eo erroneo sensu, communicantes pro mortuis. Sed hac immemoria mentientis dimissa; falsum est

S. Thomam

S. Thomam non nisi de effectu Communionis ex opere operato agere; absolutè enim, ac simpliciter dicit, errare laicos pro Mortuis communicantes, vt tunc ferebat anomala aliquorum pietas nuper refossa. Neque enim simpliciter, & absolutè dicendi essent errare laici pro mortuis communicantes, si Communio ex opere operantis alios extra percipientem iuuare posset notabiliter, & is fructus sub aliquam æstimationem ordinariè caderet: Essétque vt minimum diminuta S. Thomæ doctrina, quandoquidem reticuisset tam vberes, támque excellentes fructus Communionis ex opere operantis, quos in eo opere deprehendit Hurtadus. Iudicium item S. Thomæ inurentis notam erroris laicis, qui pro Mortuis communicant, esset valdè iniuriosum, & laicis, & animabus Purgatorij; quandoquidem perceptio Sacramenti potest tantoperè defunctos iuuare ex opere operantis; quod D. Thomas non considerasset; ac proinde negari non posset, quin valdè temerè, & iniuriosè de ea laicorum Communione pronuntiasset. At ne putetur, non venisse D. Thomæ in mentem, directio, & ordinatio operis Communionis ad finem subleuandi defunctos; obstat, quòd expressè facit eius mentionem, admittens posse fieri, vt aliquis communionem suam velit alteri communicatam; & tamen ne sic quidem proficere alteri communionem, saltem ita vt fructus aliquo loco esse debeat, & haberi tanquam alicuius momenti. Ex quo paterè, ait, errare laicos, qui pro Mortuis communicant. Quid clariùs, vt appareat S. Doctorem, proposito à Raynaudo doctrinæ esse astipulatum? Nam iisdem conceptionis verbis vtitur, quæ Raynaudus adhibuit, & explicatissimè agnoscit, errare fideles pro Mortuis communicantes, quod vnum

dixit Raynaudus. Manifeſtiſſimè eandem doctrinam tradit S.D. 3.p.q.79.art.7.indiſtinctè, & abſolute docens, communionem ſoli communicanti prodeſſe. Itaque omnis illa cacochymia, & illuuies conuitiorum, ſannarum, cachinnationum, admirationum tanquam ad monſtroſam, & maximè inſolitam doctrinam; omne, inquam, hoc oletum, quo Hurtado abundè caput Theophili perfudit, æquè in S.Thomæ caput demittitur, cùm eadem vtriúſque ſint verba, & eadem omninò ſententia.

Adhibuerat prætereà pro ſe Theophilus autoritatem veteris Eccleſiæ, quæ tantùm abeſt, vt eximios Communionis pro Mortuis fructus agnouerit, vt potiùs in Miſſa pro defunctis, laicos ſacro cibo non impertiuerit. Exarmatum hoc telo Raynaudum cenſuit Hurtado, ſi diceret, in Paraſceue, & in triduo Mortis Chriſti, negatam fuiſſe Communionem laicis, quia ceſſabat oſculum pacis, quæ eſt conditio neceſſariò pæmittenda communioni. Similiter ergò in Miſſis defunctorum negabatur communio ob non datum oſculum, ſine quo præuio, non poteſt præberi communio. Hæc tamen ratiocinatio labat vndecunque. Nam & falſum eſt in triduo, hebdomadæ magnæ poſtremo, ceſſare communionem; cùm licitum ſit communicare illo triduo. Quod autem Canones docent de non celebrandis in Paraſceue Sacramentis, verum eſt de ſacrificio feria 6. in Paraſceue, non obeundo; qua ratione vſurpatur nomen *Sacramentorum*, in opere S. Ambroſij de Sacramentis, id eſt, de Miſſæ ſacrificio. Et in Sacramento S. Gregorij, quod item eſt de ordine Miſſarum. Vſurpatio autem Sacramentorum preſsè ſumptorum, non vetatur in eo triduo. Et ratio, quæ additur, de ceſſante communione,

nione, quia cessat osculum, ludicra est: Tum quia Sacerdos, etiamsi osculum non præcesserit, communicat singulis illis diebus. Ergò falsum est, osculum esse necessariò præuium communioni, vt Hurtadus fabulatur. Tum etiam, quia reddenda fuerat ratio, cur in eo triduo negaretur pacis osculum; non oportebat autem dicere negatam esse communionem, quia osculum non præfigebatur. Vera autem ratio, cur osculum ex triduo non daretur, allata est à Raynaudo in Tractatione de Iuda; nempe, quia tunc recoleretur immane Iudæ basium, Christo proditoriè fixum, dignum visum est cessare à basio, saluo iure ad communionem. Hæc autem ratio, non cadit in Missas pro defunctis; Quidni ergo in eis vsurpabatur communio, si per eam poterant subleuari defuncti? Sed nimirum cùm sacrificium, cuius effectus, vnus de variis est absterssio reatus, celebraretur pro defunctis, visum est Ecclesiæ, sufficere medium à Christo ipso, in finem subleuandi defunctos prouisum interuentu Eucharistiæ, & bonum præcludere aditum errori, pro quo satagit Hurtadus de tam vberi fructu communionis pro defunctis. Itaque non exarmatur Raynaudus ab Hurtado, potenti telo, quod in eum intorquetur ex autoritate Ecclesiæ antiquæ.

Adduxerat pro se Raynaudus, silentium omnium Theologorum. Nemo quippè eorum, agendo de suffragiis, aut de fructibus Sacramentorum, numerans subsidia defunctis vtilia, recensuit communionem, præter vnum, aut alterum, cui ante hoc trinoctium, venit in mentem, hoc falsum, vel pertenue subsidium.

Hurtado quasi hoc telum declinaturus, ostentat autoritates pro se facientes. Sed inter tot Theologos, vnicum potuit adducere, Gersonem; cuius testimo-

nio aliquos abuti dixerat Raynaudus. Et verissimè dixerat abusos, quia si vel perfunctoriè legatur Gerso, loco qui ex eo signatur, nihil prorsus, (ita planè prorsùs nihil,) habet pro communione pro mortuis, vt Raynaudus notauit num.45. Et idem dicendum est de B. Ioanna à Cruce, & B. Gertrude, quas num. 51. retulerat, & nihil sibi incommodare notauerat; & nihilominùs allegantur in suam causam ab Hurtado, additâ calumniâ posteà detergenda, quòd Raynaudus reuelationes sanctarum fœminarum reiiciat. Nunc peruelim, vt Hurtado, qua est in Philosophicis salebris facultate, expediat nodum petitioni B. Gertrudis implicitum. Expetebat enim sancta illa fœmina, vt Deus tot animas è Purgatorio erueret, quot erant partes in hostia, quam percipiebat; plures videlicet, quàm essent, vel fuissent, vel futuræ deinceps essent in Purgatorio animæ. Nam partes minimi continui, sunt infinitæ actu, iuxta probatiorem sententiam philosophicam. Animæ autem Purgatorij omnes, siue quæ in eo tunc erant, siue quæ fuerant, aut futuræ erant, numero finito comprehenduntur. Eia Hurtade; ad hoc? vel scinde, vel expedi hunc nodum, quem dextrè præteristi. Cabasilam item pro se profert Hurtado. Sed ipse Cabasilas fatetur, se hac in re nescire quid dicat. Itaque penitiùs mentem eius introspexit Hurtado, quàm spiritus hominis, qui in ipso est. Tribuit ei Hurtadus, quod dixerit, animas Purgatorij communicare spiritualiter, & sic eluere peccata venialia, quæ hinc exportarant. Hoc etiamsi ita esset, quid ad rem præsentem? Centum iuga boum (vt alicubi iocatur Caietanus,) iuncta illi antecedenti, *animæ Purgatorij communicant spiritualiter, & sic extergunt maculas suas veniales,*

non

non possent trahere istud consequens. Ergo nostra communio prodest defunctis ex opere operato; vel etiam ex opere operantis, tanto fructu, qui sit dignus consideratione.

Subtexit antedictis Hurtado plenam concionem de vsu communionis spiritualis ad subleuandos defunctos; de qua communione, quæ aliud non est, quàm desiderium reipsa communicandi, intelligendum esse ait illud Christi, *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed ea expositio est contra torrentem Patrum, & Doctorum, qui ea verba de reali manducatione simpliciter accipiunt, cum reliqua ferè tota disceptatione, quæ habetur c.6. Ioannis, vnde is locus est depromptus, vt diligenter monstrant Ribera, Maldonatus, Toletus, Peterius ibi, nec non Cl. Sanctesius repetit 6.cap.5.& 6. Et Alanus l. de Euch. c.31. Vt vt verò sit, desiderium communicandi nullo modo ex opere operato, tenuissimè autem ex opere operantis subleuare potest defunctos, quantumcunque Hurtado declamitet, vel etiam muginetur.

§. VIII.

Scriptionis Hurtadi characterismus absolutè.

EST cuique autori suus in scribendo genius, & scribendi characterismus. Hoc de præcipuis Christianæ doctrinæ Magistris, diligenter monstrauit Cassidorus l. diuin.lect.à c. 18. sicut enim non omnis fert omnia tellus, nec vnus singularis iustus omnibus virtutibus in summo collucet; sed in aliqua re-

gione aliquid oritur ſingulare,& inter Sanctos quiſque ſua decora præfert : Ita in ſcribendo, cuique ſcriptorum ineſt peculiare quippiam, quo ab aliis ſecernitur. Nolo in præſentia, Characteriſmum ſcriptionum Hurtadi, ex omnibus, aut pluribus eius ſcriptionibus veſtigare. Promulſis eſt, quam hîc exhibeo, ex vnica Hurtadi reſolutione hactenus diſcuſſa; in tempore, de reliqui lolij vappa, fœculentiam, & acorem haud mediocrem propinaturus compluribus, nominatim ex Tract.1. cap.8. & 9. quo diffusè ſatis, nec minùs impudoratè excutit Clericorum, & Religioſorum (itáne? etiam Religioſorum?) propudioſum ὕϛερον πρώτερον. Neceſſarium porrò eſt, Characteriſmum ſcriptionis duplicem ſecernere, abſolutum ſcilicet, ac reſpectiuum. Pertinent ad abſotum, maculæ illæ, inconſtantia doctrinæ, aſyſtaſia, imperitia, & ruditas, ac denique alienorum ſublectio non in iudicio.

Inconſtantiam doctrinæ, pro certa erroris nota habet S. Irenæus l.3.c.2. Quantoperè hoc dedecus, Hurtadum vel in hac vna lucubratione dehoneſtet; pauca, quæ ſubiicio ſpecimina teſtatum facient. Dixit S.Thomam refellere eos catholicos, qui communionem ex opere operato Sacramenti prodeſſe Mortuis affirmabant. Et tamen num.632.ait Raynaudum finxiſſe, quem feriret, cùm id impugnandum ſuſcepit;quãdoquidem nemo Catholicus id vnquàm ſomniauit. Pari conſtantiæ laude num.651 ait, fideles in exequiis charorum ſuorum pro eis communicare, vel aliòs ad communicandum conducere; & altè cachinnatur, audiens id negantem Raynaudum. Illicò tamen addit, haudquaquam id facere fideles in exequiis,quia expeditiùs illis eſt curare ſacrificia.

Item

Item nu.575.connititur aduersùs cœlestis cibi manducationem per amicum nomine amici, cui commodare ea manducatione velit. Sed sui immemor, idipsum admittit num. 585. Acriter arguit Raynaudum num.593. quod dixerit, radicem virtutis satisfactiuæ esse pœnalitatem. Statim verò num.594.id euertit, admittens actus per se loquendo minimè omnium pœnales, summa vi satisfactiua pollere. Specimen id esto Constantiæ Hurtadi in dictis suis, ex vnica eius resolutione.

Asystasia, illi perpetua est. Nec est opus, specimina inconsequentiarum eius annotare, cùm tota hæc resolutio scateat huiusmodi ratiocinationum labruscis; & apud eum frequentissimè totum incipiat, totum pendeat ex altero; vt si legere quippiam ex eo velis, æquè finis futurus sit vbicunque te respiratio defecerit, vt de incohærentibus, & quidlibet ex quolibet assumentibus antagonistæ sui discursibus dixit S. Hieronymus. Huius cordis inopiæ exempla singularia pleraque notata sunt à §.3. vt frustrà pro aliquibus hîc signandis satagerem. Pertinent ad eandem cordis inopiam crebra, & longa parerga, in quæ absque iudicio euagatur, occasione vnius ratiunculæ contexendæ, quæ cùm vno verbo tangi potuisset, ab Hurtado tamen longa parecbasi instituta, prolixè diffunditur. Testis exspatiatio de gaudiis animarum Purgatorij, de modo, quo Indulgentia confert effectum suum, de communione spirituali, & alia non pauca.

Ruditatis, ac imperitiæ specimina in Hurtado tenemus, cum Cabasilam à Raynaudo schismatis, ac hæreseos insimulatum, purgat ab vtraque nota, fretus autoritate Gentiani Herueti, quem videtur ha-

buiſſe pro aliquo veteri Eccleſiæ Patre; cùm tamen nuperus ſit ſcriptor, nec alio titulo, quàm Rhemenſis Canonici, & aliquorum librorum Græcanicorum in Latinam linguam interpretatione conſpicuus. Quod verò Raynaudo repoſiturus, Theodoretum ab ipſo allegatum tanquam Catholicum, ſchiſmaticis Græcis accenſet Hurtado; Næ ſuam peritiam ſacræ hiſtoriæ dat expreſſam vncialibus literis, cùm conſtet, quot ſæculorum centuriis Theodoretus, ſchiſma Græcorum autore Photio inductum præceſſerit; & nitentis eius doctrinæ ab omni hæreſi alienæ, locuples teſtimonium perhibuerit, qui eum ſibi ſupplicem factum texit Leo Magnus. Pari eruditionis profunditate Hurtado, Gerſonem facit Decanum; inſignis haud dubiè alicuius Eccleſiæ caput fuiſſe arbitratus, quia inaudiuerat eum fuiſſe *Cancellarium*, quod ei perinde ſonat, atque *Decanus*. At Gerſo Parochus quidem fuit S. Ioannis in Grauia; Decanus tamen nullibi, niſi apud Hurtadum audiuit, qui ne Canonicus quidem fuit. Inter S. Dionyſij interpretes, numerat Pachymeram, quaſi altera quædam Hyppatia eſſet, quæ S. Dionyſium Commentariis illuſtraſſet. Cauſam negatæ olim laicis diuinæ Euchariſtiæ in Miſſis defunctorum, refert in excluſum ab illis Miſſis oſculum pacis, quod excludebatur in Paraſceue; quaſi quod non fit in Paraſceue, vbi nullum peragitur ſacrificium, debuerit æquè non fieri in Miſſis defunctorum, quæ eſſe vera ſacrificia, eſt extra dubium. Vera autem ratio excluſi tunc oſculi ſolos hoſpites in Eccleſiaſtica Hiſtoria latet, traditúrque à Raynaudo in Tractatione de Iuda.

Thraſoniſmi, in ſcriptione Hurtadi, ſunt perpetui. Omnia eius argumenta ſunt euidentia, demon-

ſtratiua, apodictica, ineluctabilia. Quod nolim prætergredi fines reſolutionis, quam ſuſcepi diſcutiendam; omitto frontem operis, vbi ſe Doctorem ter maximum, hîc & ibi, & alibi denominat, vt vix Iuſtinianus, ſummus titulorum auceps, ex longiore formula prætexuerit ſuos titulos. Tametſi fuit, qui ſubdubitaret, quo fundamento Hurtado, qui in Cœnobio S. Agnetis in Agone, paucis ſuis fratribus, prælegit aliquam partem ſiue Philoſophici, ſiue Theologici minuti loquij, dicat ſe præter cætera *Romæ publicum Profeſſorem.* Ille etiam, exiguus licet, tàmen ſubpungens ſcrupulus ſollicitauit non neminem; cum in ſtruice titulorum ſuorum, quos in eadem libri fronte ſibi appinxit Thomas Hurtado Clericus Regularis, indigitatum eum vidit *Proprietarium in vniuerſitate Hiſpalenſi primariæ Cathedræ Theologicæ*, pingui pro tanta vrbe ſtipendio honeſtatæ, *moderatorem.* Et ratio dubitandi, quæ tantum Magiſtrum non latet, ducitur ex Innocentij III. decantata apud Canonum Doctores ſententia, quod Religioſum eſſe proprietarium, perinde ſit, atque non eſſe Religioſum: Ita vt ne Pontifex quidem, tametſi Summus Eccleſiæ Rector, diſpenſare poſſit cum Religioſo, vt ſalua Religione ſit Proprietarius; nec plus queat Pontifex Religioſo indulgere, vt ſit proprietarius, quàm vt ſit maritus. Itaque fortaſſis nihil fuiſſe incommodi, ſi ſyllabus titulorum Hurtadi, prætextus fronti voluminis, hoc minùs benè ſonante decurtatus prodiſſet. Manifeſtè verò Alaſtorem agit Hurtado, num. 649. cùm ſe vocat *Tubam veritatis, qua perſonante, muros ſententiæ Raynaudi, corruere neceſſe fuerit.* Sed concinnè num. 591. adhibitis verbis Hieronymi in erronem, ſic inſultat Raynaudo; *Hanc*

 haſtam:

hastam, quam totis viribus misisti, de qua nobis minitaris, vno (vt aiunt) digitulo repellam. Thomas Bradvvardinus in Opere de causa Dei, hos animos erumpere dicit in audaciam Nembrotheam, atque Giganteam, solo obiectu perterricrepam.

Sublectio alienorum, Hurtado perpetua, infami plagio est contermina. Tota hæc lucubratio, quam hîc expendimus, turget expilatione opellæ, quam exagitat; nisi quod caput transuertit in caudam, & viceuersa. Nimirum quæ Raynaudus pro more Scholasticorum præstruit disputationi, quasi in fauorem falsæ sententiæ posteà abiiciendæ, Hurtadus pro sua sententia proposuit: Et quæ Raynaudus pro sua opinione adduxit, Hurtado sibi obiicit, & diluenda assumit, vix vllis additis ad ea quæ Raynaudus proposuerat. Longas lacinias è recentiorum libris passim, & vbique prostantibus suæ masttucæ attexit. Quem enim deficit Suarez, vel Turrianus, & similes moderni? Saginat exscriptis verbatim prælongis eorum locis Hurtado scriptionem suam, ignobiliter tumefaciens volumen. Nam tametsi ex Patribus, & antiquis id præstari cum laude potest, & præstitum nominatim est ab Eusebio in opere de Præparatione, & à Theodoreto agente contra Græcos; tamen quod recentiorum libri, qui versantur omnium manibus, adeundem modum sublegantur, vt opus subuentaneum augescat, & voluntaria orbis terrarum aggrauatio per nouos libros alienis plumis côuestitos probrosum est. At fecit hoc Diana? Sed ille, vt plurimuùm hoc fecit in libris, qui non sunt omnibus ad manum, atque adeò qui non possent à Lectore consuli, si nudè allegarentur. Vt vt verò sit, Diana vir bonus est, & nemini fastidium vnquam creauit, censens de aliis moderatè, atque

honestè

honestè: nulli inquam, mordendo, aut calumniando, vel immodestè se gerendo infestus fuit: atque adeò non eam præbuit occasionem id sibi obiiciendi, quam præbuit Hurtado.

In summa vniuersus contextus scriptionis Hurtadi Pilosi, refert plicam Polonicam, quæ quis in Capillagine morbus sit, & quàm malè afficiat miserum eius proprietarium, docet Rector Academiæ Zamosciensis, Epistola ad medicos Patauinos; nec non Tardinus disquisitione de Pilis cap. 9. ac Hercules Saxonia l. 10. medicinæ practicæ cap. 11.

§. IX.

De eodem Characterismo scriptionum Hurtadi, respectiuè.

CHaracterismus scriptionis Hurtadi absolutè spectatus, exhibuit plicam Polonicam, veram corporis, cuius pilum inficit, vastitatem. Idem Characterismus respectiuè spectatus, hunc pilosum Esau, & degenerem Isaacidem, exhibebit anguinea instructum pilositate, qualem fabulæ tribuunt capiti Gorgonis, cui pro Capillagine erat coma anguinea. Quid enim aliud est virulenta mordacitas, calumniandi scabies, petulcitas cachinnatrix, mendax de aliis oblocutio, quam plexus anguineus operiens caput? At eiusmodi esse Hurtadi scriptionem, paucæ de plurimis, quas subiicio, furuæ ex ea plagulæ manifestabunt.

Numero 576. Aggrediens ad Raynaudi impugnationem sic auspicatur. *Non possum non mirari virum aliàs, & valdè eruditum, & pium, ita stomachantem aduersùs vsum, qui & pius, & rationabilis potest fabnari*

ṭiari: cum ad excitandam compaſſionem animarum Purgatorij, & ardens deſiderium eas iuuandi: Tum etiam non mediocrem deuotionem in venerabile Euchariſtiæ Sacramentum: Et ſub ſpecie pietatis, & religionis hoc leuamen animabus carceri mancipatis auferendum. Beneuolus quidem Trucidator, cum à num.27. vſque ad 42. totus eſt in minuendo in Communione ex opere operantis applicata defunctis, vires, efficaciam, ſatisfactionem, & impetrationem. Sed Deo adiuuante, me pro animabus Purgatorij dimicante, manifeſtè oſtendam, friuola eſſe ea, quæ ad hoc intentum probandum inducit, & vt dici ſolet, Cydobori voces eſſe, quas multiplicat. Extremum hoc conuitium monſtrat Hurtadum ne legere quidem Græcè noſſe. Cùm enim ſit apud Suidam, *Cyclobori voces*, id eſt, *malæ & abſonæ, rapacis vociferatoris*, à Cycloboro Atticæ fluuio obſtrepero, ipſe Cydobori voces legit, ne conuitiari quidem appoſitè ſciens, tanta eſt profunditas eloquij Hurtadiani ſcribendo pergræcantis vt dici ſolet; reddam enim par pari. Tu quod Raynaudum animarum trucidatorem voces, & quidem bonum, quaſi eſſet aliquis bonus carnifex; accipe hæc ipſa de te. Nam qui fame pereunti non niſi planè exſuccum, & ægerrimè edule pabulum vult porrigi, cùm poſſet optimum, & fulciendæ vitæ accommodatum ſubminiſtrare, ille bonus trucidator foret: Tu famelicis in Purgatorio animabus, inane & leuãdæ fami vix aptum edulium ſpecie pietatis vis porrigi, cùm poſſes Miſſas, macerationem corporis, eleemoſynas, & alia valdè, & verè ſatisfactiua, vel orationes intentas, & prolixas pro eis ſuſcipere, quibus ſolidè, & non fuco tenus leuarentur. Ringere vt voles. falſa ſunt abiicienda remedia, quæ veris ſunt periculis grauiora.

Num.

Num. 593. *Exiſtimo Raynaudum magis deditum fuiſſe latinitati, in qua fateor pollere: quam in intelligentia Doctorum Sacræ Theologiæ, quos malè intellexit. Et dum citat equum, incitare deberet iuxta Nyſam, vt ait Naz. in Orat. de S. Paſchate. Etenim ab ſcopo ipſorum errat, dum in ſui patrocinium inducit, cum longè alterius, imò oppoſitæ mentis ſint, vt iam demonſtro.* Iudicium Hurtadi de bona Theophili latinitate, quanti eſſe debeat, proximè aperiam, ſiliquas, & glandes latinitatis Hurtadianæ excutiens. De Codice item Nazianzeni, qui apud Hurtadum ſolum legitur, ſuprà iam eſt dictum. Nunc ajo, Hurtadi oſcitantiam, & aberrationem à Nyſa, inde patere, quod in hoc ipſo negotio, in quo ait Theophilum excrraſſe, ipſe ibidem apertè exoculatus eſt, cùm idem cogatur dicere, quod Theophilus dixerat: nempè pœnalitatem operis eſſe radicem virtutis ſatisfactiuæ; pœnalitatem autem, quia non eſt Nugipoliloquides, accipit pro duritie & imbonitate operis, vel perpeſſionis carnem affligentis, contrà quàm Hurtado totus molliculus, operibus longè ſuauiſſimis eam annectit, perabſurdè, vt ſuprà monſtratum eſt.

Num. 603. *Raynaudus audaciter dicit, non eſſe adhibendam fidem reuelationibus, hoc eſt, S. Brigidæ, Gertrudæ, ac ſimilium Sanctarum mulierum.* Hoc, eſt audax mendacium Hurtadi: Nam Raynaudus nihil tale dixit. Conſulatur locus eius, & liquebit de impoſtura. Peruelim verò ſcire, quid diceret Hurtado de reſponſo Thomiſtarum, cùm vrgentur teſtimonio S. Brigittæ affirmantis, reuelatum ſibi eſſe, conceptionem paſſiuam Deiparæ, fuiſſe immaculatam.

Num. 607. exſcripta integra pagina Raynaudi, probantis, Communionem, prout eſt actus noſter, eſſe

tenue ſubſidium in ratione impetrationis; eam ſub-
lectionem alieni operis obſignatHurtado hac clauſu-
la. *Hac ille. Quo animo. neſcio.* Vis ſcire, quo ani-
mo? planè animo dedocendi, quo tu implanas; &
curandi, vt non falſa, ac incongrua remedia leuandis
animabus adhibeantur, (qualia tu deludens miſeras
animas, & ſimplices fideles, adhibenda doces,) ſed
ſolida, apta, vtilia: putà miſſas, cilicia, flagellatio-
nes, eleemoſynas, & huiuſmodi alia.

Num.619. *Mirum eſt, quantùm extenuet Raynau-
dus, mortuorum ſubſidia. Videtur quidem, vt dicebat
ille, mortuos flagellare. Quare verſus Tireſiæ ad Creon-
tem, quos ponit Sophocles in Antigona, illi non ineptè
aptantur. Age, mortuo concede, nec qui extinctus, ſti-
mulato. Quænam eſt fortitudo, mortuum necare rur-
ſum? Quænam eſt pietatis valentia, & quæ in ſtudiis
fortitudo, mortuum necare rurſum? Deuotionem fide-
lium infrigidando, dum tantùm extenuat tam excellens
ſuffragium Communionis, imò & Orationis, quæ fun-
ditur pro ipſis?* Hic limbus continet mendacium Hur-
tadi, non dictum Raynaudi; qui valdè commendat
Orationes pro defunctis, præſertim provt ſatisfacto-
rias, ratione laboris, qui eis adiungi poteſt; quam-
uis nudè vt impetratorias, neget eſſe componendas
cum Miſſis, flagellationibus, & aliis bonum litrum
annumerantibus Deo, pro animabus illis. Quod ve-
rò, bone Hurtado, communionem præcisè vt perce-
ptio eſt, ac labore vacat, & impetratione, vis eſſe
tam excellens ſuffragium; hoc tu dicis, ſed non pro-
bas, vt manifeſtè eſt demonſtratum. Et eâdem ſcopâ
euerritur calumnioſa amplificatio, quæ ibidem ſub-
iicitur à Cyclobori voces multiplicante, quaſi exte-
nuârit Raynaudus Sanctorum pro nobis Orationes.

Num.

Num. 632. De Theophilo refellente, dicentes, Communionem iuuare mortuos ex opere operato perceptionis, ait Hurtado: *finxit, quem feriret, quia nemo Catholicus id somniauit.* Ain? Ergo S. Thomas finxit, quem feriret, quem tu ipse num. 575. affirmas hoc refutasse, & laicos ex eo sensu pro mortuis Communicantes erroris damnasse. Sed vide tuam in mordendo temeritatem, ni mauis, malignitatem. Tentas persuadere, Theophilum hoc opusculo esse Rhetoricatum, quod æquè S. Hieronymo impactum esse in eiusdem aduersus Vigilantium inuectiua habetur. At Theophilus quamuis nomen primarij concertatoris ex ordine S. Augustini, publicè disseminantem furfures illos doctrinæ; consultò periphrasticè tantùm proposuit; Nec item expressit nomina duorum aliorum, qui vulgatis libellis eadem abusione orbem implebant: tamen ex tot adiunctis, quæ signauit n. 1. & num. 25. non putauit quemquam adeò duri oris & capitis futurum, vt id gratis confictum diceret, & mentitionem impingeret viro bono, affirmanti, esse, qui hoc persuadere tentarent, & Bertabus insusurrarent, non minùs ipsas defunctos iuuare Communicando, quàm Sacerdotes sacrificando. Sed Hurtadio cæsim, ac punctim ferire, nec mortuos tantùm, sed & viuos anguinâ linguâ trucidare, mentitiones pro libito intorquere, ludus ac iocus est. Hoc non est in pyxide spiritûs calamum intingere, vt de Basilio dixit S. Gregorius Nazianz. & de suo Sergio Pisidas; sed quod Nicolaus I. de maledico Græculo, Epist. 9. affirmauit, hoc est, intingere scriptoriam pennam in Colubri gutture, & pro dictionibus venena fundere.

Redrantras Hurtade siccine agitur cum Religioso Magistro, in tot vniuersitatibus publico professore,

& in Hiſpalenſi Cathedratico Proprietario? Tu autem quid? Intriuiſti tibi moretum, ex alliis tuis, ac vrticis, & Carduis: quod intriuiſti, hoc Comede. Si adeò cordi fuerat, Raynaudum refellere, & Communionem pro mortuis ſtabilire, nemo vetabat; ſed modeſtè, & religiosè id abs te factum opportuerat. Memor quippe eſſe debebas, pronuntiaſſe Origenem, conuitiis, & ſannis agere; plebeij eſſe, & infruniti, non diſputatoris ſapientis. Quare non es imitatus Reuerendiſſimum Raphaëlem Auerſa, antehac tuum Generalem Præpoſitum, ſcriptorem omni meo encomio ſuperiorem, doctrinæ vbertate, perſpicua methodo, accuratione ſingularem; temperatione verò tanta, vt nullum vnquam tametſi ſibi non probatum ſugillet aſperius; ſed contentus, validis rationibus veritatem, pro qua ſtat, ſtabiliuiſſe, nihil amarum, aut horrens addat, omnia verò eius in Charitate fiunt. Aliam tu viam iniuiſti. Quare ne inhorreſce ſicut mulus ſcabioſas aduersùs ſtrigilem. Non te latet vetus paræmia, *Qui dicit quod non debet, audiat quod non vult.*

§. X.

Encomium Theophilo ab Hurtado depactum quale.

NOn ſemper imbres nubibus hiſpidos manant in agros; temperandum quandoque eſt acerbiori tractatione. Itaque Hurtado, tam multis dehoneſtatum probris Raynaudum mulcere voluit, depacto ei Elogio, ſed quod eſt vini vapidi cum felle miſti promulſis.

Nunc igitur n. 591. exſcripta è Theophili libro lacinia, addit. *Hac ille. Benè ſatis iuxta locutionem latinam, Donato conformem. Sed vereor, ne modus iſte loquendi, pietati ſit aliquatenus difformis.* Et mox num. 593. *Exiſtimo Raynaudum magis deditum fuiſſe latinitati, in qua fateor pollere, quàm in intelligentia Doctorum Sacræ Theologiæ, quos malè intellexit.* Si Hurtado intelligit, quod dicit, & verbum *fuiſſe*, non ignorat eſſe præteriti temporis, haud dubiè ſupponit, Theophilum eſſe fato functum. De ſuperſtite enim, Rudimentarius Grammaticus non diceret, *exiſtimo fuiſſe*, ſed diceret, *exiſtimo eſſe*. Itaque bonus trucidator Hurtado, mortuum cædit. Et quæ eſt iſta pietatis Valentia, &c. quæ ineptiendo cæcus iſte Tireſias ex Sophoclæa Tragædia alienis oculis perlecta adducit. Sed Raynaudus, Deo gratia, nondum eſt pluribus annumeratus. Et vbi audierit, quæ in ipſum laudationis ſpecie effutiuit Hurtadus, hanc eſſe dicet laudem non laudem: nec tantùm aſtutam laudem, quam defricare validè poſſit (adhibitis iis, quæ in eam laudis laruam eruditè pro more ſuo addenſat Sherlogus anteloq. 4. tota ſect. 5.) ſed iniurioſam, & probri refertam conuitiationem.

Hoc vt intelligatur, recolendum eſt, protritum illud, laudem à laudato viro delatam, magni eſſe faciendam. E contrario autem laus ab imperito rei, quam laudat, ad vituperationem potiùs pertinet; non ſecus ac ſi cæcus colores tabellæ impoſitos à viuiditate commendaret, aut ſi Petro quiſpiam, & Rupex, à facundia, aut doctrinæ profunditate oratorem ſacrum celebraret. Non eſſet ſanè ſpecioſa laus illa, nec eſſet oratori, idoneum inflationis, & tumoris argumentum. Quanti ergo eſſe debet apud

Theophilum, quod à latinitate collaudetur per hominem latinitatis ignorantiſſimum, cuiuſmodi eſt Thomas Hurtado, qui vix vnam emiſit Periodum, quæ non ſordeat ſtribiligine aliqua Grammatica, & indigna colaphizatione Priſciani? Non eſt diu vagandum per molem reliqui voluminis. Hæc ipſa ſola reſolutio, Hurtadi ſupinitatum Grammaticarum feraciſſima, ſatis ſuperque euincit, eum in latinitate non pollere. Eiuſmodi nominatim eſt, quod ait n. 106. *Deus expaueſcit nos*, cùm vellet dicere, *Deus pauorem nobis inijcit*. Et num. 600. *Opus benè executum*, cùm dicendum eſſet, *executioni mandatum*: quia *exequor* non eſt verbum paſſiuum, vel commune. Et n. 640. *Debet populus magis exhortari ad Communionem, quàm ad alia opera pro mortuis ſubleuandis*. Heus tu, *exhortari*, eſt verbum deponens. Quare caue tibi ab Orbilio, & eius ſcutica, faciens *exhortor* verbum paſſiuum. Omitto quod alibi *de oſculis*, & *tactis* admodùm inuerecundè agis, nihil reueritus venerandam Donati canitiem, à qua audire potueras, (certè debueras) *Tactum*, eſſe vocem quartæ declinationis, nec agendum tibi fuiſſe *de tactis*, ſed *de tactibus*. Nec potes cauſari mendum Typographicum in tam frequenti, totieſque iterata mentione *de tactis*. Ioannem Sanchez, quia ſcripſit *ſelecta*, vocas *Sanchez ſelectum*, cùm in bona Grammatica deberes vocare *ſelectorem*. Alibi, tuum eſt gemmeum illud eloquium, *Hæc ſententia debet amplecti ab omnibus*, viderit Petrus de Quiros Hurtadi Diſcipulus, abutens verbis Petri Bleſenſis, vbi illa venuſtas, & florulentia ſermonis fragret, quam in Hurtado ſuo celebrat. Hominem itaque infantiſſimum, à quo toties vapulant Priſcianus & Donatus, ſedere latinitatis probatæ arbitrum, &

laudare

laudare alicuius latinitatem, laus est euanida, & quæ laudato, inflationis occasionem non præbeat, velut si à Ioanne Mariana, Gaspare Sancio, Hieronymo Osorio, Petro Maffeio, Ioanne Antonio Velasquez aut similibus præberetur. Delata autem ab Hurtado, homine infantissimo, nugatoria est, friuola est, inepta est, iustiùs dixerim, probrum est, atque conuitium.

Neque hoc dico, magnum esse Hurtadi dedecus, quod lapides loquatur, quod eius scriptio densis horreat solæcismis, quod politas aures verberet tam impexa eius, & horrida dictio. Hoc illi condonatur. Scimus enim, PP. vix vllo loco haberet cultũ, & mundum vernantis dictionis: & aucupes cupediarum latinitatis, ad rostra potiùs, quàm ad sacra subsellia amandandos decernere; quod Theophilus in præludiis ad syntagma de libris propriis, ad criminationem secundam, copiosè illustrat. Hoc igitur non vrgeo, sed indignum esse pronuntio, & quod supra omnia intorta ab Hurtado conuitia Theophilum meritò pessimè habere debeat, Hurtadum, hominem lingua rusticanum, comprobatorem agere latinitatis Theophili: & eo ipso occasionem cordatis dare, existimandi Theophilum, (quæcunque demum sit eius latinitas) perparùm latinè nosse, qui ab homine toties violatæ latinitatis reo, & Romanæ eloquentiæ carnifice, à bona latinitate collaudetur: Idque ea astuta laude quæsisse Hurtadum, qui dixerit, fortasse ad Nysam equum incitauerit.

Non plura in præsentia, Hurtade. Expecta me, donec reueniam, & excussis planè tuis cùm in alios, tũ nominatim in Societatis IESV, primarios quosque Doctores allatrationibus, & demorsionibus, expe-

riare, inconſultiſſimè abs te factum, cùm leonis demortui (vt quidem arbitrabare:) barbam vulſiſti, & letho iam datum, bone Trucidator, ſtrictâ in eum machæra, confodiſti.

FINIS.

